



## **Breviarium Chronologicum Veteris Testamenti Rerum Gestarum**

Ab Orbe condito Vsque ad Christum natum Synopses complectens.  
Xenivm Academicæ Sodalitati Dominorum, B.M.V. Annuntiatae Herbipoli  
oblatum

Sacerdotium Ducale ... - Complectens Synopses Sacræ & profanæ historiæ  
à fine captivitatis Babylonicæ & Hebræorum Ducum ac Persicæ  
Monarchiæ initio usque ad Christum natum

**Gartner, Michael**

**Herbipoli, 1697**

Progenitores Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65122)

## S. I. Progenitores Christi.

**Z**OROBABEL filius SALATHIEL  
& nepos JECHONIE Regis, natus  
Babylone anno mundi 3499. ante  
Christum 554. Nomen habuit à spe pa-  
rentis sui; quòd re ipsà Zorobabel,  
id est, à *confusione alienus* futurus esset,  
quem alio nomine Babylonij SAS-  
SABASSARUM appellaverunt. Hic  
Bosphorus gentis lux, qui post lon-  
gam caliginem novæ lucis, & gloriæ  
Dux & antesignanus fuit, cui Deus gra-  
tiam contulit in oculis Cyri & Darij Re-  
gum, ut post gentis analecta ex anno-  
sâ captivitate Hierosolymam reducta,  
fieret novæ Domûs Domini à funda-  
mentorum ruinis fortissimus resusci-  
tator. Hic pro populo suo & avidâ  
pietate potentissimus orator; Hic glo-  
riosus veritatis Patronus & Propu-  
gnator, cui coram Dario ortâ disce-  
ptatione de vini, Regis, mulieris & ve-  
ritatis fortitudine, pro veritate con-  
tendenti victoria adjudicata est, quam

con

confessionem videtur Dominus (in cuius manu sunt corda Regum) non solum Darij gratiâ, sed æternâ quoque vitâ remunerâsse. Obit piè ac religiosè, uti sperare fas est de Duce optimè merito, Babylone, ut Hebræi tradunt, quò ædificato urbis Jerosolymæ muro & æde Sanctuarij aptatâ rediit. De anno obitus nihil certum. Templo absoluto diu quidem adhuc vixit, sed nihil egisse legitur; satis enim egit, qui Deum recepit.

**ABIUD** filius **ZOROBABELIS** natus anno mundi 3554. ante Christum 499 anno vigesimo tertio Darij: in eo fortunatus filius, quia primus extra Babylonem natus est renato templo, ut Messix nobilitatem restitueret. Quamdiu vixerit nemo probatæ fidei scripsit; de gestis ejus etiam summum silentium.

Tametsi neque in Sacro eloquio, nequè apud ullos probatos auctores expressum sit, quando **ABIUD** aliique Successores post transmigrationem Babylonis ab Evangelista Matthæo relati usque ad *Ioseph vi-*

rum Maria, de qua natus est IESVS, genuerint, quia tamen necesse est, ut quatuordecim generationes inter Iechoniam, qui primo loco recensetur, & inter Christum in quem, ut docet S. Hieronymus decima quarta generatio reputanda est, factæ fuerint intervallo 634 annorum, qui ab ortu Iechoniæ usque ad ortum Salvatoris fluxerunt, propterea ad indagandum quoto ætatis suæ anno quilibet ex his, quos S. Evangelista enumerat, Successorem suum legitimum sibi genuerit, hæc commodior esse videtur, ut primò statuamus S. Iosephum, quando accepit Beatissimam Virginem in Conjugem, fuisse annorum circiter triginta septem vel octo, nimirum neque juvenem valde, neque provecitæ nimium ætatis, ob causas satis rationabiles, quas adducit Cardinalis Toletus in caput primæ Lucae, & Salianus, & infra in sexta ætate de S. Iosepho annotabuntur.

Secundò ut ponamus, quòd ij, qui inter Salathielem & S. Iosephum nominantur, singuli anno circiter vitæ suæ quinquagesimo primo, secundo vel tertio filium in dicta linea Christi nominatum genuerint, alios enim filios quoque; vel ante hanc ætatem vel post genuisse, qui rectam Christi lineam non ingrediantur, perinde est, & nihil obstat huic suppositioni, per quam fiet, ut tota illo-

allorum 634. annorum, qui Jechoniam inter & Christum fluxerunt, summa commode exhauriatur, quod cuilibet computanti patebit. Et secundum hanc viam à Torniello & Saliano sagaciter quæsitam, hic quoque proceditur, non quodd hæc omnino certa & indubitata sit, sed quodd veritati propius accedat, & nihil probabilius & dispositioni temporum, rationique sacræ & profanæ historiæ magis consentaneum adferri posse videatur.

ELIAKIM filius ABIUDI natus anno mundi 3604. ante Christum 449.

AZOR filius ELIAKIM natus anno mundi 3655. ante Christum 398.

SADOC filius AZORIS natus Anno mundi 3705. ante Christum 348.

Huc usque protendit se linea progenitorum Christi intra ætatem quintam sub imperio Persico. Cæteri regno Græcorum & Romanorum cœvi sunt: de omnibus autem tum hujus, tum secuturæ ætatis Christi majoribus usque ad Iosephum omnes libri & monumenta silent. Nullâ famâ gestorum, sed solo nomine superstite, nimirum voluit ignotus in terris Deus ex ignotis nasci, & futurus Magister humilitatis pedagogiæ suæ experimentum fecit in proavis, quos iussit latere, docuitq; *amare nescire*

8 *ÆTAS V. ab an. 3517.*

*nosci*, itaque eorum virtutes & gesta  
cceli archivis recondita manent, nomi-  
bus tantum ab arcanorum Divinorum pro-  
fecto Matthæo exinde transcriptis, & cu-  
redivivo Messia reviviscentibus; ut discat  
Christianus hæc Christianæ humilitatis pro-  
ma elementa esse, *Silere & Sileri*. Non  
ægrè fert in annalibus mundi tegi, qui in  
libro vitæ desiderat legi.

¶ 300 255 500 205 500 205 500 205 500 205 500

*S. II. Pontifices Hebræi.*

XXXV. JOSUE filius fuit JOSE-  
DECHI, remigrantibus Babylone Hie-  
rosolymam Hebræis Pontifex datus  
est à parente, ut verisimile est. Hic  
instauravit templum unà cum Zoro-  
babele, uti habetur 1. Esd. 5. v. 2. *Tem-  
surrexerunt Zorobabel filius Salathiel &  
Josue filius Josedec, & ceperunt adificare  
templum Dei in Ierusalem & cum eis Pro-  
pheta Dei adjuvantes eos AGGEUS scilicet  
& ZACHARIAS filius ADDO. Pon-  
tificatum hic gessit ab anno mundi  
3517. solutæ captivitatis 1. usque ad  
annum mundi 3567. annis scilicet 50.  
ad annum usque Darij 36. Imperij Per-  
sarum 51.* Huc